Emo, & Rmo Principi

S.R.E. CARDINALI AMPLISSIMO

CAMILLO DE CYBO

EJUSQUE CELSISSIMÆ FAMILIÆ

PANEGYRICUS

A

BALTHASARRE STORACIO

Presbytero, & Juriſconſulto Neapolitano in Romana Curia Cauſarum Patrono

DICTUS.





ROMÆ Excudebat Rocchus Bernabò MDCCXXXI.

PUBLICA AUCTORITATE.

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſsimo P. Sac. Palatii Apoſtolici Magiſtro.

N. Baccarius Epiſc. Bojanen. Vicesgerens.

IMPRIMATUR.

Fr. Jo: Benedictus Zuanelli Ordinis Prædicatorum Sac. Palatii Apoſtolici Magiſter.





UAMQUAM sæpe numero cogitanti mihi, Princeps Eminentissime, ac memoria repetenti mirabilem illum naturalium rerum ordinem, multa planè occurrerent, quæ Dei Optimi Maximi Sapientiam ostenderent, commendarent; nihil tamen mirabilius esse duxi, aut quod majori studio Philosophorum perscrutatio prosecuta est, quam potentissima illa Virtuti insita Vis, & prope dicam, auctoritas, ut cæteris rebus om-

nibus ſenectute, interituque ipſo collabentibus, numquam verò virtutis, ac Sapientiæ jacta ſemina diſperſa, obducta, deleta eſſe videantur. Ea enim vel longevæ annorum diuturnitati ſubjecta ſint, vel perditorum aliquando injuria, fraude, iniquitate circumducta caligine, at repentè velut è tenebris erumpentia, tanta poſtmodum firmitate cohærere ſolent, ut quantum diuturnitas temporum detraxerit, tantumdem laudibus attulerit. Sicuti aggeſtis cineribus non ita flamma ſopitur, quin ſcintillarum excuſſu aliquando educatur; Nec camporum ubertas aquarum, aut turbinum tempeſtate omni viriditatis honore exciſo ſqualet, quin aliquos fructus priſtinæ fæcunditatis efferre conſpiciatur. Nihil eſt autem opere aut manu factum, aut hominum artificio, ingenioque elaboratum, quod aliquando non conficiat, aut conſumat vetuſtas: Verùm quæ maximis rebus deſtinavit præpotens ille rerum

om-

omnium Moderator Deus, & quotidie velut exurgere, & magis magisq. florescere animadvertimus. Quippè Assyriorum, Persarum, atque Græcorum Imperii non gloria modò, quàm memoria ipsa obsoleta, ac penitùs extincta; Romanæ postmodum Dominationis Majestas, quæ a Tyrrheno Mari usque ad ultimum Pontum, & à Scythicis nivibus ad australes usque æstus domità Africæ, Asiæque Tyrannide Imperium Terra, marique produxit, non ita porrò Barbarorum immanitate mancipium effecta, quin simulac aliquod lucis secunda tempora ostendere visa sint, pristina tandem libertate postliminiò recuperata, suorum virtutem ac gloriam velut ab interitu revocaverit, denuò extulerit, atque jactaverit. Neque verò cum ulla ferè Sapienti, egregiaque Gente ita inique actum est unquam, ut adversæ licèt res, vel diuturna annorum series priscum illius splendorem præsocaverit; nihil profectò

fectò minus; sed eum insita virtuti potestas è latebris identidem proferens, clariùs inde edere, ac restituere conetur.

Quod quidem Divinæ Sapientiæ argumentum, cum aliis manifestum fieri intelligamus, in Te tamen, Regiaque Gente Tua ita manifestatum est, ut numquam majoribus, aut illustrioribus argumentis, aut illustratum esse, aut in posterum illustrari posse videatur. Summo enim immortalis Dei Optimi Maximi beneficio comparatum esse arbitrati sunt universi, ut post tot tantasque Sæculorum vices, bellorum tumultus, Regnorum, ac Provinciarum vastitates, teterrimamque hominum perniciem; Gens Celsissima de Cybo tot planè innumeros perpetuò protulerit egregiorum facinorum testes, Majores Tuos, quot ubique ferè Gentium monumentis æternis consignata Historicorum memoria manifestavit. Ut aptiùs certè malim Gentem Tuam Olympo illi æquiparare, quem fabu-

ſabuloſa Poetarum grandiloquentia tam alte exaggeravit, ut ad cacumen illius venti, tempeſtateſque non pervenirent. Adeo nihil à primævo ſtatu, nihil à dignitate ſua eam diſceſſiſſe conſtat; Cum vel offenſiones Principum Virorum intentarentur, vel quorumlibet periculorum metus ingruerent. Neque abſre factum intelligimus, ut Majorum Tuorum exempla firmiſſima numquam delerentur, in quibus omnis ferè vertitur rerum publicarum Virtus, leges nimirum, quibus fracta perditorum hominum impudentia, publica tranquillitas foveretur, religio, qua Divina omnia libentius agnoſcerentur, amor demum erga rempublicam ſibi creditam; ne in tàm variis hominum ingeniis, ac moribus ſuus cuiquam abeſſe ſtimulus poſſet, quin pravi formidine, boni verecundia, mediocres faſtidio, probatiſſimus quiſque pulchra ęmulatione corrigeretur: omnes autem cupiditate imitandi, ab exemplo ad virtutem

tutem acriùs, ac vehementiùs inflammarentur. Adeo næ jucundiſſima hæc præteritorum exemplorum lumina hominum ingenia perficiunt, exornant, ut incredibilem quandam in eos tranſmitti vim conſilii, auctoritatiſque fateamur.

Cum igitur hanc virtutis exemplorumque imaginem à Summis Principibus tuis perpetuò expreſſam, & politam ac tanto, tamquam inuſitato gloriæ ſplendore ubique gentium frequentatam, cum a Te mirum in modum referri jucundiſſime intelligamus; Sicuti nemo umquam fuit, qui non animo, aut ſpe majora ſuſceperit, ejuſque latere pronum ad honores iter, & audita latiùs nomina quæſierit, cum ſibi illius memoriam proponendam eſſe duxit, ſic par ęquumque erit publica quoque laudatione reſtitui, ac decorari.

Verùm enim verò in tanta nunc Purpuratorum Patrum auctoritate, tanta conſentione, ac ſtudio bonorum omnium,

nium, omnibus hominibus faventibus, Principibus denique omnibus tanta hilaritate comprobantibus dignitatem tuam, quibus ſtudiis eam proſequemur, qua animi ſignificatione occurramus? quod brevi tempore illa futura ſit in Romana Eccleſia auctoritas Majorum tuorum laboribus parta, qui incredibili quodam in rebus ſuſcipiendis conſilio, in explicandis dexteritate, & in conficiendis felicitate omnium Terrarum Orbem illuſtrarunt. Ego autem licet forenſis palæſtræ exercitationibus addictus magnifico ſcribendi genere jamdiu ſepoſito; & tamquam in portu complicatis velis de quiete jam, atque otio cogitaſſem; in tantis autem omnium ſtudiis cum unus præ cęteris animum ex forenſi ſtrepitu refectum, aureſque diuturno convicio defeſſas, & attritas tantorum gaudiorum cauſa reparatas animadverterem, ſubductam jam veluti navim mutato conſilio deducere, ac vela ventis pandere coa-

ctus sum. Quod si in tanta laudum tuarum, Gentisque Tuæ Celsissimæ præconum Turba, quibus nullo pacto sum comparandus, me in hoc magnifico præsertim dicendi genere infantem agnoscam, eodem tamen, quo cæteri incesserunt, ardore flagrantem, tua quoque Princeps omnium humanissime, facilitas, ac benignitas inflammavit.

Ut primum itaque operi huic manum admovi, ea statim dicendarum rerum copia occurrit, mihique de tàm innumeris ac propemodum infinitis Celsissimæ Familiæ Tuæ Principibus differendum fore animadverti; ut eorum varietate, & magnitudine deterritus sese jam pene animus à suscepta provincia subducere, mentisque impetus colligere videretur. Si enim oculos ad ipsa, quæ nota sunt, nominis Tui primordia convertamus, eo planè patet laudum excursus, tamque ampla surgit honorum Seges, ut in eorum admiratione

ne erecti penitus hæreamus .

Celsissimum igitur Nomen de Cybo, si ab ultima usque ætate memoriam temporum repetamus, & eorum monumenta carptim delibemus, Oceani instar, qui exigui sinus gremio concludi nescius, ac riparum angustias indignatus per immensa totius fere orbis spatia aquarum opes longè lateque diffundit, sic plane præruptis remotissimarum Regionum jugis, atque Orientis finibus superatis, primoribus sapientis Græciæ provinciis subsedisse, moxque in eas absolutum Imperium exercuisse comperiemus [1]. Græco enim idiomate Cubea primum Gens nuncupata, incredibile prorsus dictu est, quo ejusdem honos processerit, ut vix, aut ne vix quidem ulla alia tot splendidissimis nominibus Orientis fastos compleverit.

Verum enim verò non iis potuit

 tan-

1. *Ciacconius in Innoc. VIII. Sansovinus de origine nobil. Ital. Famil. in Familia de Cybo. P. Angelus Manriquez in Annal. Cisterc. Moreri in Diction. Critico Hist. verbo Cybo.*

tantummodo finibus contineri, ſed Pannonia, Germaniaque tranſmiſſa, & ubique, uti immortalis Sobolis propagatione, ſic virtutis ac gloriæ inſignibus dominatione firmata; mox Jonio, Inferoque mari transfretato, undequaque Terra Marique quæſitam ampliſſimus demum Italiæ ſplendor excepit, Genuæque potiſſimum ſedem poſuiſſe fertur. Inibi igitur primis Reipublicæ temporibus ſtatim in eum ordinem cooptatam eſſe ſcriptum novimus, cui uni ſumma Reipublicæ commiſſa creditur. Tanta vero, ac tam peculiari animadverſione a vetuſtioribus Italicarum rerum ſcriptoribus monumentis tradita atque exornata eſt, ut de Gente Tua verba facientes proprio veluti cognomento *Heroas* [2] nuncupaverint, qui egregiorum factorum laude illud ſibi inſigne vindicaverant.

Jamdiu enim mare Jonium, atque infe-

2. *Sanſovinus de Origine Illuſt. Italiæ Familiar. in Fam. de Cybo.*

inferum illud immenſum, in quo non aquarum tantum fervore, quam Barbarorum excurſionibus, deprædationibus, non ſolum maritimi curſus, ſed Urbes etiam, & viæ militares jam tenebantur, Gentis Tuæ virtute ab Oceano uſque ad ultimum Pontum tamquam unum aliquem portum tutum & clauſum haberi viſum eſt. Nationes eas, quæ numero hominum ac multitudine ipſa redundabant in immenſum, ita eſſe partim reciſas, partim repreſſas, ut Aſia, Africaque quæ ſupremum antea Imperium in cæteras Nationes exercebat, mox nova veluti provincia ejuſdem armis cingerentur:

Poſſem de omni Regione, de omni hoſtium genere eorum temporum dicere; nulla enim gens fuit, quæ non aut ita ſubacta ſit, ut vix extaret, aut ita domita, ut quieſceret, aut ita tandem auctoritate nominis de Cybo pacata, ut de ejuſdemmet victoria, Imperioque teneretur

P-:

Primi itaque in hoc ordine, quoad historicorum auctoritas suadet, [3] cum sese eadem Gente esse meminisset, quæ aliorum saluti nata, non otio suo, quid egerunt aliud, nisi ut pene corpore suo Italia barbaras, exterasque Gentes prohiberent? In Peloponneso enim maximarum Græciæ Urbium dominatione potiti, cum frequentibus nunciis, ac rumoribus Barbarorum Italiam fæde dilacerantium ad eam patere viam intelligeret, Gratiano Augusto imperante, eos inter Italiam primus ingressus fertur Eduardus I. de Cybo, [4] nationesque illas barbaras immanesque, quas imperatores antea exercitus, refutandas potius bello, quàm lacessendas putaverunt, divina, eximiaque virtute repressit. Et ne longius ab Italia prætergrediamur eximius sese offert Princeps JOANNES I. maximis

3. *Sansovin. loco laudat.*

4. *Sansovin. loc. cit. Thomas Baldassini in vita D. Laurent. Cybo. Senarega, Mirabellus, & Fatius de rebus Genuensibus.*

ximis illis Italiæ luctibus, funeribusque subvenire a Deo comparatus, insperatum omnibus consilium atque incognitum cœpit;[5] exercitu enim invicto ex paternis bis mille equitibus confecto, ex Orientis finibus Sarmatiam traiiciens, non solum sibi cum iis, quos jam armatos contra Divi Justiniani Cæsaris jura conspexit, bellandum esse duxit, sed totam Gothorum Gentem in ejusdem ditionem esse redigendam. Itaque cum acerrimis Nationibus, Narsete Duce socio secum adhibito præ iis felicissime decertatis, maximas earum copias influentes Italiam, ipsumque Tejam Regem immanissimum, qui crudelissimis consiliis incitatus, ardens odio, ac cruentus sanguine Italorum, nihil nisi de eorum pernicie cogitabat, non avertit modo ac contrivit, Romanoque Imperio subjecit, sed sedes quoque ipsas, ac recepta-

5. *Sansovinus loc. cit.*, & *Procopius de Bello Goth. de anno 550.*

ptacula penetravit, distulit, dissipavit. Cujus de laudibus, & honoribus, qui ei pro divino prope immortalique facinore, divini immortalesque debebantur, Justinianus Cæsar statim decrevit, ut ad posteros quoque, & JOANNEM potissimum filium transmitterentur. [6] Qui mihi videtur divinitus prope a Patre traxisse virtutem, a quo gloriam fuerat mutuatus; hic cæteras enim nationes, gentesque, quas nullæ Italiæ antea litteræ, nulla vox, nulla fama notas fecerat, imperator exercitus ab eodem Cæsare constitutus armis peragravit; quasque Procopio teste fidissimo, nemo unquam fuit, qui non frangi, domarique cuperet, præliis variis lacessitas mirabiliter profligavit. O bene auspiciatum Celsissimæ Gentis principium, o præclare positum virtutis ac Sapientiæ cæteris omnibus rudimentum! quæ enim habuit semper ornamen-

6. *Sansovin. loc. cit.*

namenta, quæ insignia, quæ solatia, quibus lætari, ac gloriari solemne fuit? Majorum tuorum Imagines, Tabulæque ad memoriam, posteritatemque prodendam aperiantur, omnia generis, nominis, honoris signa in publicam salutem ac commoda parata esse videbuntur. Hæcque omnium ornatissimorum Hominum Sententia, eoque Principum ac Regum, qui ab ea usque tempestate tamquam in specula collocati eorum gesta notarunt, laudum ac decorum argumenta confluxere. Ut palam constet post omnium memoriam hominum, nusquam in eo ordine Summorum Virorum plus virtutis, plus amoris in eorum Rempublicam, plus gravitatis fuisse; quique nihil à se opis, nihil adjumenti, nihil auxilii ferri oportere, nisi pro Patria, publicaque fide existimarunt. Nec immeritò grati animi memoria semper omnem tranquillitatem, & quietem acceptam universi retulerunt eorum

auctoritati, ac sapientiæ.

Quo quidem animo cùm semper Italia potissimum fuerit; tum non dubito, quin clarissimo Duce LUDOVICO I. de Cybo palam faciente, sese magis etiam confirmaverit, ab omnique sollicitudine ejus virtute abstraxerit, atque erexerit. Etenim cum Siciliam caput Italiæ, portum omnium gentium, sedem ab universis populis rei frumentariæ, & annonæ universæ comparandæ statutam, Saracenorum furore inflammari, exscindi, funestari nosset LUDOVICUS: [7] maxime verò turbatus est, ut audivit, non id fieri multitudine imperita, sed fæderata quoque totius Africæ barbarie, non eam modo pulcherrimam Italiæ partem, sed totam penitus esse effusam. Præsenti animo in eos cum Sardiniæ Comite consanguineo suo mare trajiciens, ejusque æstuantibus fluctibus, ac

7. *Sansovinus loc. cit. de anno* 828.

ac procellis pro nihilo habitis ſe ſe in eorum claſſem Ludovicus Carthaginem inter, atque Uticam medius immiſit. Cumque validiores hoſtes vires in maritimam claſſem intendiſſent, ventorumque ipſe flatus rejicere conaretur, adhuc audire videor, & agitationes perturbationeſque barbarorum, ex parte vero Chriſtianorum voces effuſiſſimis gaudiorum ſignificationibus refertas, omneſque certatim alios aliis gravius, atque frequentius cum Poëta alloqui Ducem feliciſſimum.

Oh nimium dilecte Deo, cui fundit ab antris
Æolus, armatis byemes, cui militat Æther,
Et conjurati veniunt ad claſſica venti.

Nullam moram inſequendi hoſtes interponendam eſſe exiſtimavit. Sicque cum omnibus copiis præſto fuit, & tam propius acceſſit, ut barbarorum naves ferro ingrederetur. Impetum atque incurſum refugientes hoſtes, eodem tempore ſeſe in fugam contule-

 runt.

runt. Verum eodem quo aggressus fuerat, Ludovicus ardore insecutus, classem demersit, fugientes verò omnes acerbissimo exitio addixit.

Maximam verò partem Parentum suorum gloriæ quasi suo sibi jure vindicavit Guido I. de Cybo decimo vix inchoante Ecclesiæ Sæculo; quidquid enim est præclarè gestum, id penè omne suum ducere oportet; ut variarum terrarum dominatione in Italia ab Othone I. Cæsare donatus, [8] clarissimos omnes suorum temporum duces tam contentionum magnitudine, quam numero præliorum, varietate Regionum, celeritate conficiendi, aliisque bellicæ artis laudibus superaverit.

Franciscus autem I. [9], atque Eduardus II. [10] non minus ad amplificandam tuo-

8 *Moreri in Diction. Criti. & Histor. verbo Cybo ex Privilegio Viterbii concesso an.*999.

9 *Sansovin. loc. cit. de anno* 1000. *& ex Chronic. DD. de Bruncfort.*.

10. *Moreri loc. laud.*

Tuorum gloriam contulerunt. Contra Infideles enim iter aggressi, suisque Feudis eam ob causam ab internecinis hostibus occupatis, pro Christi tantummodo nomine stipendia mereri, suoque studio, consilio, patrimonio fidei persolvere, quod debetur, intendentes, jam præcipitanti, jam submersæ subvenerunt, atque extulerunt. Neque calamitatis solummodo propulsandæ causa profecti, sed ut generi, ac nomini clarissimo majorum suorum decus assereretur avitum, non modo vetera libertatis jura Christifidelibus vindicarunt, sed cætera quoque Sacrorum Templorumque violata restituerunt. O præclaram sane gentem, ac singularem fidei virtutisque indolem, admirandam potius, quam dignis laudum præconiis extollendam!

Eam enim imitatus virtutem Lambertus I. de Cybo Duce, ac facem præferente Guidone II. Patre suo,

atte-

attestante memoria omnium [11], neminem fuisse, qui majori studio, auctoritate incubuerit ad christianam Rempublicam conservandam, ab universis Italiæ Principibus in Siciliam imperator missus, audacissimum Maurorum genus disjecit prostravit. Nec solum id animose, & fortiter, sed reliqua quoque considerate sapienterque perfecit. Caprariæ, Gorgonis, ac Fenegerolæ Insulis in Tyrrheno mari locis olim munitis ac propinquis hostes tamquam intimis eorum sedibus constiterant; verum à Lamberto statim vi captæ, omnes cum Fivizano, innumerisque aliis castris eidemmet hereditario virtutis præmio cesserunt. [12]

Sed quid ego ne, qui tot tantosque de Regia Gente tua laudavi Principes, adeo ne oblitus, atque immemor

rerum

---

11. *Moreri loc. cit. & Sansovin. de anno* 1092. *Eleuther. Mirabel. in Ephemerid. Italiæ, & monumentis in Tabulario S. Georgii Genuæ existentibus.*

12. *Ex eodem Mirab. loc. cit. & in Pisan. Hist.*

rerum à cæteris gestarum esse videar, ut exiguis veluti spatiis Regionum circumscriptum tanti nominis insigne putarem, si Ducem ARANITUM I. [13] eruditorum omnium, ac Poëtarum præsertim laboribus illustratum silentio præterirem? quandoquidem iter impeditissimum, ac difficultatis, & periculi plenum cum clarissimis toti orbi Ducibus Gothifredo Bullionio, aliisque Græcorum Antesignanis in ethnicos aggressus, ea sane præstitit argumenta virtutis, animique roboris, ut Constantinopolitano Patriarcha testante [14] primum Aranitus inter alios fidei propugnatores locum obtinuerit: ipse quoque auctoritate sua, qua apud reliquos Principes fungebatur, Gothifredum Regio Hierosolymorum Diademate dignum decreverit, coronaveritque; quod non solum memoria, & testimo-

---

13. *Ex Sansovin. loc. laud. de an.* 1096., *& Morer. eodem loco, & vetustioribus monumentis apud Diodorum Bacitim.*

14. *Aniceto Patriarcha in lib. Hist. Terræ Sanctæ.*

monio, ſed etiam annalium litteris, & Summi Poëtæ voce laudatur.

Parem verò, imo majorem ſane fructum eiſdem temporibus, quem orientales atque occidentales Principes de Regia Gente tua expreſſerant, Romana Eccleſia excepit. Nam ſub eodem undecimo Eccleſiæ Sæculo eos nacta eſt Fidei propugnatores præſentiſſimos, ut parum ac pro nihilo prorſus conjuratam errorum turbam habuerit. Ut vel notos enim omittamus HERMANNUM atque ALBERICUM Cardinales præclariſſimos [15], numquam dignis laudibus extolli poterit Cardinalis MARTINUS de Cybo [16] Beatorum albo jamdiu a Romana Eccleſia adſcriptus. An cum ſub Innocentio II. Romano Pontifice teterrimi ſchiſmatis adhuc labes graſſaretur, Stampenſi Synodo

15. *Apud Ciacconium an.* 1007. *Panvinium de Roman. Pontif. anno* 1126.

16. *And. Victorel. in addit. ad Ciaccon. Gaſpar. Angelinus in Purp. D. Bernardi. Franciſc. Zarrera. Chryſoſt. Henriquez in faſciculo SS. Ciſterc.*

nodo indicta, nimirum catholicæ vindex fidei indormiebat? Nonne ipſe Anacletum Pſeudo-Pontificem Eccleſiæ jura deſpicientem, turpiſſimiſque erroribus divina, humanaque omnia ſuſque deque habentem coercuit, compeſcuit, conſtravit? Lætatur adhuc Eccleſia pacem cum Lothario Imperatore ſancitam, Romanæque Cathedræ jura honorificentius vindicata: nonne ipſe Martinus vindicavit? In Montium autem, Piſano, atque Romano Concilio non minora exhibens ſapientiæ, ac auctoritatis indicia, credi vix poteſt, qua gravitate, & doctrinarum pondere Sacrorum Canonum ſplendorem, Eccleſiaſticæque diſciplinæ majeſtatem illuſtraverit; nec non Romano ipſo Pontifice, ac Galliarum Rege obſtupeſcentibus toti fere Europæ errorum colluvione in pejus ruenti, puriſſimam naſcentis Eccleſiæ faciem, fidem, ac pietatem reſtituerit. Cum vero omnes in unum ſpectarent, unus omnia guberna-

re valuiſſet Martinus; tot, tantiſque negociis diſtentus eſſet, ut ne reſpirare quidem libere poſſet, Legatus ſtatim Romanæ Eccleſiæ in Daniam mittitur.[17]

Hoc itaque tanto conſilio, atque adeo neceſſitate Eccleſiæ impulſus, aſperitate locorum, itinerum difficultate, vitæ ipſius diſcrimine neglectis, exploratum profecto eſt, quantopere conatus fuerit, quo Septentrionis dubiam fidem confirmaret, quibuſve artibus Nicolaum Regem ad propagandam rectæ Religionis ſobolem acrius, ac vehementius accenderet.[18] Repente enim tamquam ſerpentem è latibulis oculis eminentibus, inflato collo, tumidis cervicibus virus hæreſeon abditum educens, non eſt humano conſilio cogitandum quo animi robore, quave virtutis, & conſtantiæ indole inveteratum illud ex populorum effræni ac præcipiti pervicacia robur hæreſeon

17. *Baronius Annal. to.*12. *an.*1130.
18. *Abbas Bonavallis lib.* 2. *cap.*2.

ſeon primus ipſe Martinus disjiciens, diſperdens, Cimbricam Cherſoneſum, Jutiam Septentrionalem, atque Holſatiam nutriculam perduellium omnium ad ſublimem filiorum Dei libertatem aſſeruerit, revocaverit.

Viſa quoque fuit Romana fides in remotiſſimis reliqui Septentrionis regionibus exultaſſe, Scania nimirum, Hallandia, Norvegia atque Gronelandia, veræ fidei lumen primitus ſibi invectum; nonne invexit Martinus? Eccleſiæque Miniſtros ſparſim conſtitutos errorum contagione infectos, divino quodam veluti ictu excuſſos integritati fidei reſtituit. Eas denique domuit gentes immanitate barbaras, multitudine innumerabiles, locis infinitas, omni errorum genere redundantes, quæ nec naturam, nec conditionem, ut vinci poſſent, habebant; juravitque invictiſſimus Chriſti propugnator, ſe gratiam Eccleſiæ minime excepturum, alienumque dignitate tan-

 ti

ti Legati sibi videri , nisi ipsimet errorum antesignani Duces, ipso triumphante de cæteris , plenè triumphum prosequerentur . O memorandum sane Romanæ fidei triumphum, veteribus omnibus Romani Imperii facilè anteponendum! O singulare majorum tuorum , Princeps præclarissime, pro Christianæ Reipublicæ salute in eorum sanguine insitum incitamentum!

Hæc enim tàm memorabilis gloriæ magnitudo, illud Sanctissimorum Virorum testimonium, illa Terrarum ipsius orbis significatio sine ulla varietate universi, qui una mente atque voce Rempublicam ab ipsis servatam esse conclamavit; quid declarat aliud, quid significat, nisi omnibus caros, probatosque fuisse, ac nemini offensos, aut invisos; qui tot dignitatibus cumulati, tantisque muneribus insignes nil aliud præter Reipubli-

19. *Divi præsertim Bernardi B. Martini virtutem commendantis lib.4. de consid. cap.5. ad Eugenium III.*

publicæ ſibi creditæ dignitatem exquiſierunt.

Quod quidem tantum fuit, ſemperque viguit in eorum animis ſtudium, ut fidem hominum fere antecellant, quæ ſub Lucio II. Romano Pontifice, & Adriano IV. Guido Cardinalis de Cybo in luctuoſiſſima illa Urbis ſeditione evellenda contulerit ad necem uſque evocatus, quæque cum Friderico Cæſare Viterbii pro pace concilianda cum Romana Eccleſia perfecerit.[20]

Omnium verò gentium, atque omnis memoriæ clariſſimum lumen Franciscus II. operam non minorem navavit ad eam gentis ſuæ gloriam augendam, qui poſtquam Almeriam hoſtium obſidione cinctam ab eorum expugnatione ſervavit, ac Ballearium Regno armis potitus, ſicuti admirationem ac benevolen-

20. *Johannes Sarisberien. in Policrat. Angelus Manriquez. in Annal. Ciſterc. Ferdinand. Ughel. in Ital. Sac. & Ciacconius an.* 1144.

lentiam omnium sibi conciliavit, ita victor in Patriam regressus eximii imperatoris cognomentum publicis tabulis exaratum obtinuit.[21]

Unius autem Regni plausibus contineri minime passa Gens nobilissima, sed ultra semper avitam gloriam prolatura, ex publica pactione fœderis habita inter Genuenses, & Pisanos clarissimus nobis profertur Dux Hermes de Cybo,[22] qui non hominum solùm judiciis, sed publicè quoque celebratus, quod cunctarum inferi maris Insularum dominationem adeptus, adhuc tamen ostenderit, quantopere ab eo usque tempore Gens tua Celsissima in animo habuerit, non tam præmia sequi recte factorum, quam ipsa recte facta, cui nihil præstabilius videbatur, quam ex omnibus præmiis virtutis, si esset habenda ratio præmio-

21. *Sansovin. loco cit. an.* 1147.
22. *Ex parantiqua stipulatione confecta pro fœdere inito quam probat Sansovinus loc. laud. an.* 1188.

miorum, ampliſſimum præmium eſſe gloriam, periculis Patriam liberaſſe.

Eſſe hanc unam, quæ Poſteritatis memoriam conſolaretur, quæ efficeret, ut abſentes adeſſent, mortui viverent, cujuſque gradibus ad ſummum gloriæ culmen aſcendere viderentur, cumulatiſſime patefecit Princeps ABAILARDUS I.[23] virtutis Gentis tuæ propugnator eximius, qui Venetias in acerrima illorum temporum Reipublicæ dimicatione evocatus omnium animos incredibili admiratione complevit. Nulla enim tanta vis eſt, tanta virtus, tantum animi robur, quod non ferro ac viribus debilitari, frangique poſſit; hujus verò conſtantia pro Republica non modo maximorum Regum minis, ſin minus preces valuiſſent, cohiberi, ſed ne victoriis etiam ipſis potuit retardari: quamobrem gloria, ac triumphis onuſtus, qui in publicis adhuc mo·

23. *Ex Reipub. Venet. monumentis apud Ludovicum Michaele ex Sanſov. an.* 1216.

monumentis frequentantur; immensos Reipublicæ fines, quos exercitu non potuit, fama tamen ac gloria peragravit.

Sed quoniam omnibus in Terris & jam versatur, habitavitque semper nominis tui gloria, quid dicam de LANFRANCO I. ac FRANCISCO Episcopo Savonensi, Principibus [24] non in scientiarum modo, ac virtutum exercitatione eruditis, quam in summa rerum publicarum versatissimis? Vereor autem, ne de GULIELMO II. [25] cognomine Bono minus dicam, quam aut universi sentiant, aut monumenta scriptorum commemorare studuerint; cujus auctoritatem & prudentiam Romana potissimum Ecclesia perspexit; qui ubique ingenium, laborem, fidem suam Reipublicæ promtam expositamque præbuit; qui ita justus & bo-

24. *Moreri loco laud. & Sansov. an.*1241.

25. *Sansovin, & Morer. loco laud. Ciacconius in Innoc. VIII. Henninges Tom.*4. *Genealog. Tabel. p.*1076. *Augustin. Justinian. in Annal. Genuæ ad annum* 1267.

bonus, ut natura, non disciplina consultus esse videretur, ita sapiens, ut maxima legatione functus ad Clementem IV. Pontificem maximum pro difficillimis Reipublicæ Genuensis negociis, ita probatus Pontifici fuerit, ut, Ecclesiastico statim interdicto remoto, qua diligentia pertractavit, ea felicitate vinxerit, fide atque auctoritate pacem cum Ecclesia constabiliverit: ita demum omnibus gratus atque acceptus, ut Fridericus II. Augustus Imperator in ipso calamitosissimorum temporum æstu peculiaribus honorum ac dignitatum insignibus fuerit prosecutus.

Cui quidem diù conceptæ Parentum suorum cupiditati operam egregiam dedit Princeps Georgius de Cybo Michaelis Palæologi Græcorum Imperatoris ad Romanum Pontificem Gregorium X. & Lugdunense Concilium unionis Ecclesiæ ineundæ causa Legatus designatus. Satis enim in ea nobilissima

Legatione confirmavit, eorum consuetudinem usu tractandoque expressisse, quæ ad Rempublicam conservandam, & Catholicam veritatem facilius promovendam conferre viderentur.[26]

Quamquam vero celebratissimos illos Majores tuos EMANUELEM, BARTHOLOMÆUM I., atque CYBUM de Cybo relinquamus, Italicum tamen bellum illud magnum atque difficile, & in multa varietate nationum terra, marique versatum, prætereundum minimè foret, quod ita à tantis Viris gestum est pro Carolo I., ac Roberto Neapolitanis Regibus, ut non facile dixerim, an plus dignitatis nomini tuo, quam voluptatis legentibus sit allaturum.[27]

Non minus etiam fides agi visa fuit à GULIELMO III., & FRANCISCO insigni Granianensium Comitatu ad Lactarium

26. *Ex actis Concil. Lugd. apud Labbeum Tom.* 11. *p.* 967. *& antiquo Tabul. gentis de Cybo ad annum* 1274.

27. *Moreri in diction. loc. cit.*

rium Montem posito à Roberto Rege decorato, ne, qui in clientelam eorum venerant, desererentur.[28] Beneficiorum vero non ignari Alao, Brancaleo, ac Mauritius[29] parentibus suis præstitorum, cum ad incitas jam redactas Roberti res prospexissent, Henrico Cæsare jam in Regnum non armis modo invadere agitante, quam novis rebus, atque armatis cohortibus domesticorum Principum perturbante; quamquam nihil aliud vere decernere potuissent, nisi timere; publicæ tamen Regis utilitati non mediocriter auctoritate sua consuluerunt, ut quæ cæteri temporum dubias vices miserias vocarent, voluptati haberent, nisi tamen Republica bene atque decore gesta.

Thomas autem de Cybo nulli Gentis tuæ splendore secundus, ex manifesto Pii II. Romani Pontificis[30] testimonio, maritimæ classis imperator in Chium in-

28., & 29. *Moreri dicto loco.*
30. *Ex Diplomate Pii II. Sansov., & Moreri ad an.* 1380.

ſulam pro ea tuenda ab acerrima hoſtium oppugnatione tranſmiſſus, pro certo habemus, Principem ſibi locum inter cæteros ſui ævi Duces vindicaſſe.

Familiæ autem ſuæ, ſoboliſque egregiæ propagatione in florentiſſima Italiæ parte Neapoli firmata, ab eoque Tomacella dicta,[31] in monumentis rerum Italiæ potiſſimum geſtarum inciſam ac notatam videmus, ſtudio laudis, ac virtutis inflammatam tantopere in Europa valuiſſe, ut non modo cum ſummis illius civitatis viris, ſed cum ampliſſimis quibuſcumque Principibus & jure ſanguinis, & feudorum ſplendore ſit comparanda.

Et quæ? pro hominum fidem! à ſapientiſſimo Pontifice optimo maximo Bonifacio IX. Tomacello de Cybo patrata non vidimus, quæ admirabilem illam nominis tui imaginem non referrent?

31. *Ciaccon. in Bonifac.IX. & Innoc. VIII. Philip. Scaglia de rebus Neapolit. & Sanſovinus loco laud.*

rent? O admirandam ſane ſtirpem, & tamquam in unam arborem plura genera, ſic in iſtam gentem omnium inſitam virtutem ac ſapientiam! Cum enim ea ætate, maximiſque perturbationum momentis involutam Chriſtianam Rempublicam adminiſtrandam acciperet, nemo eo viſus eſt in conſiliis capiendis prudentior, nemo in rebus diſponendis diligentior, nemo in peragendis expeditior.[32]

Quid eſt enim, in quo tantus Pontifex Chriſtianæ Reipublicæ plus prodeſſe potuit? quid eſt, quod aut Romano Principatui gratius eſſe debuit, aut ſaluti, fortuniſque omnium magis accomodatum? Populatæ diu, vexatæ, funditus everſæ Romanæ ditionis Provinciæ, jam non ſalutis ſpem, ſed exitii ſolatium quærebant. Veterem judiciorum vim,

32. *Platina in ejus vita. Sanſov. Onuph. Panvin. in Chron. Boninſegn. lib.4. hiſt. Florent. Genebr. lib.4. chron. Card. Ægidius Viterb. in hiſt.20. Sec.*

vim, gravitatemque postulantes ad Bonifacii fidem, quam habebant spectatam jam,&diu cognitam confugierunt,omnes illumdefensorem calamitatum suarum, ultorem injuriarum, cognitorem juris sui esse voluerunt.

Perditissimi itaque Romanorum gregis, qui facto velut agmine in Romanam Ecclesiam debacchabatur, ferro ipso non sine perfidia quandoque abusus, mucronem nullo armorum strepitu, sed solo auctoritatis remedio retudit; ut post tot sæcula, tot curas Romanorum Principum primus ipse cunctando rem restitueret.[33] Latium verò, Campaniam, Picenum; in Hetruria, Viterbium, Montemfaliscorum, Urbemveterem; in Umbria Narniam, Tuder, Spoletum, Perusium; in Æmilia, & Flaminia, Bononiam, Faventiam, & Forumlivium Civitates clarissimas diuturno animorum ardo-

33. *Andreas Victor. in addit. Ciaccon. Platina. Sansovin. & Cardin. Ægid. locis laudat.*

ardore, & armorum conflagrantes, Ecclesiastico Imperio restituit, subjecit.[34] Galeatii Mediolanensis diù Ecclesiam infestantis totius fere Italiæ trans Appenninum vires retardavit. Innumeris Ædificiis Urbe exornata, Ærario Apostolico opibus ac redditibus locupletato, primum Bonifacius Adriani molem Arce firmatam Vaticano Palatio conjunxit; primus quoque Tyberis aditus, pontesque communivit. Græcas litteras eruditione varia refertas post quingentorum annorum silentium in Italiam advexit.[35]

Cum vero Sedes Pontificia ab Avenionensi exilio tandem aliquando Romam reversa esset, primum totius Orbis expiationem Pontifex consultissimus celebravit, tantaque cupido omnium animis visendi Pontificis incessit, ut populos

34. *Ciaccon. in Bonif. IX.*

35. *Cæsar. Rasp. de Basil. Lateranen. Platina: Sabellicus En. 10. lib. 9. Genebr. lib. 4. Middendorp. lib. 3. Acad. Gault. in Tab. Chronogr. & Victorel. ad Ciaccon.*

los genteſque omnes in Urbem exciverit.[36] Roma tota, ſi una voce loqui potuiſſet, hoc diceret, ſi qua reliqua ſpes eſt, quæ perditorum animos erexit, afflictos recreavit, ea tota in Bonifacii virtute poſita. Quod dignitatis, quod ſecuritatis quod ornamentorum in Romano Principatu eſt, id mihi totum, Pontifex invictiſſime, attuliſti, auxiſti.

Quod ſi ea, quæ in Romani Principatus Regimine dilapſa defluxerunt, tam ſeveris legibus vincienda eſſe duxit, qui porro intelligi poteſt, quove pacto ſe geſſerit, ut Chriſtianæ Reipublicæ ſalutem complecteretur? Albos enim ex Alpibus Italiam adeuntes, ſuſpectam populorum audaciam, effrænes libidines, earumque præſertim prægustatorem eximium Ducem eorum, qui exterius vitæ Sanctimoniam oſtentabat, interius vero

36. *Turſellin. in hiſt. Laur. lib.1.cap.21. Bernard. Corius in hiſt.Med.Ciacconius. Victorellus. Carolus Sauſſajus in Annal. Eccl. Aurelian. Joh. Dubrou. lib.23. hiſt. Boem.*

vero Ecclesiæ interitum agitabat, alluvione quadam secum abripiens innocuos, tàm acriter insectatus est, ut uno veluti ictu errores, eorumque architectus igne extinguerentur.[37] Cum vero plerisque in rebus gerendis tarditas & procrastinatio perniciosa sit, tum bellum illud contra hæreses maximæ indigere celeritatis sapientissimus Pontifex censebat, atque horam eximere ullam in ea peste ac sorde Christianæ Reipublicæ avertenda, non sine scelere posse. Succurrendum quapropter Anglicæ Ecclesiæ contra Vvicchlefsistas statim decernens, omnes undique vires, opes, consilia Henrico IV. Regi subministravit.[38] Jamque Pontificis impulsu à Britannia ejectis errorum monstris; cum perfida lues, quæ semper judicium Ecclesiæ, auctoritatem, potesta-

 tem-

37. *Ægid. Card. loc. cit. & Victorel. ad Ciaccon. Gualt. in Tab. Chronog. Æneas Silv. in hist. Boe. Polyd. Virg. de Inv. rerum lib.7. cap.5. Blondus, Volater. & Sabell. loc. cit.*

38. *Vvalsin. ad an.1396. in Ricc.II., & Henr.IV. & lib. 4. Epist. Bonifacii p.156. Georg. Conæus lib.1.*

temque Pontificis contempſerat, ſeſe in Italiam, ac Bononiam potiſſimum nova audaciæ fronte conjeciſſet, nouumque incendium excitaſſet, Bonifacii cura incredibilis accurrit, non in cavendis modo, ac pertimeſcendis, ſed ulciſcendis etiam nefariis criminibus, penituſque delendis. [39] Verum o virtus! quæ poteſt eſſe major virtus, quam animo abhorruiſſe conſilium ſibi in aſperrimo vitæ periculo à medicis exhibitum, ac mori potius elegiſſe, quam impudice caſtimoniam fædando, vitam vel longius expectatione protrahere; [40] vel unam ob cauſam meritos ſibi honores, & debitos comparavit, cum nemo fere memoria hominum fuerit, qui non modo pari virtute, & voluntate extiterit, ſed tantam cauſam habuerit, in qua & voluntatem, & virtutem ſuam luculentius declaraverit.

Hujus

39. *Lib.4. Epiſt. Bonifacii IX. p.114.*
40. *Auguſt. Oldoinus in addit. Ciaccon. S. Antoninus p.3. hiſt. tit.22. cap.3. §.33.*

Hujus autem virtutis ſectatores præſentiſſimos e familia ſua Cardinales Leonardum atque Angelum [41] relinquens, in cuſtodia & tamquam in ſpecula collocavit quibus vacua metu chriſtiana Reſpublica ab omnibus errorum portentis redderetur.

In qua quidem tam manifeſta Celſiſſimæ Gentis tuæ ſententia adeo teneri viſus fuit numquam ſatis commendatus Princeps Aranus I., ut una voce atque mente omnium ad ſuum conſilium, auctoritatemque Reſpublica evocata eſſet [42]: ad Albertum enim Auſtriacum Cæſarem Legatus profectus, rebuſque cum eo in Italia feliciter compoſitis, una eum neceſſitas tantum premebat, ut nullam partem noctis requieſceret, quidnam dignum induſtria virtuteque ſua præſtaret,

41. *Sanſov. loc. cit., & ex MS. Onufrii Panvinii apud Ciaccon. in Bonifac. IX.*

42. *Sanſovin. loc. laud. ex Montalto, & Moreri dict. Crit. & hiſt.*

ret, quod rei utilitati publicæ conduceret. Maritimæ igitur Classis pro Patria imperatoris munere, ac Romæ Senatoria Dignitate optimè functus,[43] cum a Renato Rege Neapolim ad sui præsidium in difficillimis illis florentissimi Regni temporibus evocaretur; credi vix, aut ne vix quidem possunt quæ pro populorum tranquillitate, Regisque incolumitate, quantum asperrima temporum ratio ferre potuit, auctoritate sua præstiterit. Renati autem Regis ad Triarios res redactæ cum de victoria penitus desperarent, Alphonsus vero Rex Aragonius Neapolim obsidione cinctam, armorum strepitu tandem penetrasset, omnem spem salutis ad clementiam victoris conferentes Cives, unum ab Alphonso enixe expostularunt, ut Aranum sibi pro-Regem confirmaret. O magna vis & prope dicam auctoritas virtutis, quæ po-

43. *Ciacconius in Innocentio VIII. ex Elogio in Capitolio adhuc extante.*

poteſt eſſe, excogitarive potentior virtus? quæ contra hominum impetus, iracundias, contra Regis ipſius victoris triumphos victos tueatur? magna etenim laus, grataque hominibus, quæ Arani virtuti ſapientiæque debebatur, Alphonſo cum primis explorata; eaque inveterata in hominum mentibus opinio, gentem ſuam de Cybo in ea potiſſimum, ſcientia elaboraſſe, quæ non ſibi, ſed Reipublicæ rationibus proficeret, irati Regis animos fregerunt, iracundiam prohibuerunt, ut moderator Regni Aranus confirmatus exquiſitiſſimis quoque fuerit honorum ſignis, atque ornamentis cum tota gente ſua à Rege muneratus.[44]

Frugi itaque princeps iſte, frugi, inquam, in omnibus vitæ partibus glorioſus, rebus geſtis, ac victoriis ſummopere eruditus, quos plane virtutis ſuæ fructus

---

44. *Sanſovin., & Morer. loc. laud.*

ctus ediderit, palam profecto fecit INNOCENTIUS VIII. de Cybo Pontifex ornatissimus. Qui mihi unus ex omnibus universalis Ecclesiæ moderatoribus videtur re docuisse, non verbis, quod oporteat ab eisdem in Christiana Republica fieri, & quod necesse sit. Oportere hominum audacium, eversorum sceleribus, legibus & judiciis resistere: si leges non valerent, judicia non essent: si Romana juris dicundi facultas vi, consensuque perditorum oppressa teheretur, totis viribus, omnique nervorum contentione defendi, propugnari, ac vindicari necesse esse. Hoc sentire prudentiæ est, facere fortitudinis, neglectum jam ac penitus derelictum restituere, gloriæ; sentire vero, facere, & cum opus esset, restituere, summæ, cumulatæque virtutis. Itaque hac acerrimi judicii constantissima fide immortalem prope egregiis facinoribus suis gloriam conciliavit. Cum enim, ut inquit Plato, optimus Princeps

exi-

existimandus sit, qui singulis semper ætatibus probatus fuerit, & perseveranter id agere studuerit, quod Reipublicæ conducere arbitraretur, aliter quasi ex divino oraculo censebat Rempublicam perituram. Sapienter plane sentiebat Innocentius, quotidianisque sermonibus profitebatur, pro sua cuique parte excubias agendas esse pro Sedis Apostolicæ incolumitate, & magnitudinem ejus quibuscumque rebus comparandam. Si cui sint opes, opibus, cui prudentia, consilio, cui robur viribus provehendam. Nihil melius pace sibi videbatur, arma non propter victoriam, aut rapinas, & vim vindicandam sumenda fore, sed propter quietem.[45] Cum igitur orbis terrarum universus in arma præceps raperetur, cælestis animi sui judicio, bellorum repente æstus resedit, Italiæ cupienti pax reddita fuit. Ad suæ quoque lucis radios

45. *Daniel. Papebrochius, cum Godefrido Henschen. in Innoc. VIII.*

dios Galliæ erectæ, Hiſpaniæ vero, Britannia, Sarmatia, & externis. & domeſticis concitæ motibus aliquod ſeu ſignum ex arce illa Pontificatus ad bene ſperandum ſuſtulerunt. Jam vero perpetuo bellorum comes, caritas annonæ, jam ſicubi quies ab armis erat, crudelior armis peſtilentia ſæviebat. Verum tam felices ſucceſſus, tanta proſperitas, copia, ſalubritas ſuæ circumfulſit dignitati; ut cum ad eam cuncti ipſum prouchi plurimum exardeſcerent, incredibiliter tamen gaviſi fuerint eſſe provectum. [46]

Verſatus autem in intima familiaritate hominum ornatiſſimorum, quem eorum in Pontificio quoque Solio conſtitutus non re, non verbo, non vultu denique ſolitæ benignitatis participem non effecit? quamobrem fovere, atque illuſtrare bonas artes, & e re litteraria optime meritos geſtiebat, qui manum ſuam

46. *Panvin. in Elog. Innocen. VIII. Andr. Victorel. in addit. ad Ciaccon.*

ſuam adverſus rudem inſcitiam, tetramque barbariem implorarunt; ut à quo pax ubique ac tranquillitas reſtituta eſſet, ab eodem etiam pacis alumnæ litteræ ab injuria ſcilicet atque indignatione vindicarentur. Roma igitur religionis arce tutiſſima luculentiſſimis pietatis veſtigiis exornata, mucrone potiſſimum ferri, qui latus Domini penetravit, in Vaticano honorificentiſſime collocato, mentem ſuam ſapientiſſimam ad cæteras orbis gentes excolendas convertit. Viditque ſtatim Regem Congi in Africa ad ſuos accidiſſe pedes inſaniam ejurantem. Sentiit Africanos fere innumeros veræ religionis lumine perculſos, baptiſmo primum initiatos. Ut autem Ferdinandum Regem Hiſpaniarum Catholici cognomento decoraret, non mediocres eidem ſtimulos injecit, ut Judæis ſpurciſſimis thalmudiſtarum ſuperſtitionibus Catholicam ſimplicitatem fædantibus ab Hiſpaniis penitus expulſis, ad novum

 dein-

deinceps orbem non armis tantummodo peragrandum, quam Chriſtiana Religione primitus illuſtrandum vires ſuas, & cogitationes omnes intenderet. Quandoquidem nihil ſtultius reputavit, quam, ut plurimum copiis, opibus, conſiliis poſſint, cætera omnia parare Principes à Deo conſtitutos, non tam Regnorum, quàm Religionis tutores, optimam autem & pulcherrimam ſupellectilem Deo non parare. Ut primum igitur Zizimum Bajazethis II. Turcarum Imperatoris fratrem Chriſtianorum vires implorantem ſummis laboribus in Romam importari curavit, quem, ne datam fidem frangeret Innocentius, Bajazethi ingentia offerenti munera reſtituere recuſavit, e re ſua eſſe duxit Pontifex pietate refertus, Maximilianum Cæſarem, Fridericum Hungariæ, Galliarum, Caſtellæ, Angliæque Reges, ac Purpuratorum Patrum Collegium ad bellum in Turcas aggrediendum excitare, ut pro ſua quiſ-

que

que parte niteretur illatas christiano nomini injurias vindicare, & veræ Religionis semina in obdurata illarum gentium corda ingerere. Quod, si quantum animo, tantundem etiam corporis valetudine Pater amantissimus Ecclesiæ valuisset, ac paulo longius, quam infirma ætas tulit, dies protulisset, eum sane fructum suis laboribus, & industria excepisset Ecclesia, quem ad extremum usque vitæ honoribus, imperiis, rerum gestarum gloria continuata pepererat. [47].

Cum vero ab hac perenni contestataque virtute, majorumque suorum exemplo roborata, non modo non degenerare, sed, id quod maxime florere in generis tui gloria viderat, majora exequi virtutis argumenta Nepotes suos Nicolaum, ac Pantaleonem de Cybo intelligeret, Summi Senatus Collegio

47. *Apprime Sansovin. Ciaccon. Ubertus Folietta in Elog. clar. Ligur. Angelus Politianus, Polyd. Virgilius, & Pontanus commendarunt.*

adoptatos, [48] hæredes ſtatuit non gloriæ modo, & ſplendoris, quam ſuæ, avitæque virtutis.

Neque minus valuit FRANCISCUS IV. Princeps in omnibus vitæ partibus integer & ſapiens, in Regia Aragoniorum Regum Aula à teneris annis enutritus, in publicis rebus ſummi conſilii, ac maximi animi; uſu vero bellorum gerendorum in primis eorum hominum, qui umquam fuerunt, oppido exercitatus. Anguillariæ enim aliarumque Terrarum imperio inſignis, & S. Romanæ Eccleſiæ imperator exercitus, tantopere apud univerſos Principes exiſtimationi habitus eſt, ut ejus plane opera eo gloriæ & dignitatis faſtigio Regia Mediceorum familia proceſſerit, qui Laurentio ejuſdem gentis principi Italiæ moderatori nuptiarum fœdere junctus, viam Alexandro Duci aperuit ad abſolutum Hetruriæ Im-

48. *Franciſcus M. Vialard. in Innoc. VIII. & Ciacconius ad an.* 1484.

Imperium obtinendum, [49]

Verum enim vero ad hanc tam magnifice propagatam Gentis tuæ gloriam non parum operæ ac laboris Cardinales LAURENTIUS, atque INNOCENTIUS de Cybo contulerunt. [50] Primus enim in teterrima illa ſub Alexandro VI. temporum calamitate murus & repaculum objectus [51] effræni ſurentium belluarum libidini, exploratum profecto habemus, voragines, ſcopuloſque in illis fluctibus tempeſtatum e Romanæ Eccleſiæ cervicibus depuliſſe. Alter vero Romæ Camerarius unus ipſe Clemente VII. patruo ſuo Eccleſiam gubernante afflictis rebus attulit levamen. Legatus enim in Bononiam, ac Romandiolam profectus, in media

49. *Sanſovin. loc. laud. & Moreri in diction.*

50. *Henric. Spondan. in Annal. Eccleſiaſt. Panvin. de Rom. Pontif. Turſellin. Suarez. de Epiſc. Præneſt. Marius Vipera de Archiep. Benevent. Scipio Ammirat. in hiſt. Florent. Ferdinand. Ughell. in addit. ad Ciaccon. & in Ital. Sacra. Franciſ. Zarrera de Nobil. Ital.*

51. *Ciacconius in Innoc. VIII. Panvinius, Moreri, & Sanſovin. loc. laud.*

dia rerum omnium perturbatione quamplures Provincias ab hostium oppugnatione servavit incolumes. Ipse quoque effecit; ne Romana Sedes, o nova post conditum Ecclesiæ imperium sapientia, ac dexteritas! ne Romana inquam Sedes iterum in Gallias transmitteretur, & velut alter Romanæ olim Reipublicæ Africanus, Pater Patriæ post calamitosissimam apud Cannas Romanorum cladem, Patritiorum ordinem ab Italia egredi meditantem coercuit; sic plane Innocentius partium studiis disjunctis majorem Purpuratorum Patrum partem, quæ Placentiam eam ob causam convenerat, metu abjectam erexit, atque ab incepto consilio revocavit: sicque jucundissimam Ecclesiæ libertatem vindicavit. Sed quid? numquid gloriæ metam attigit Innocentius? nihil profecto minus. Dicam enim quod sentio, & quod mecum scriptorum monumenta incredibilis atque inauditi prodigii loco adscribendũ fore intelligunt.

Nam,

Nam, quæ mali vis jam tunc Alexandro Duce in Hetruria regnante in venis, ac visceribus Principatus conclusa latuerat, cuique moderator Innocentius remedium adhibere cum maxime cuperet, haud facile potuerat, eadem Alexandro Duce intempestiva clade prærepto, acrius furere & conflagrare debuisset. Hæc, extremaque omnia protendebant atrocissima illa Italiæ tempora. Sed magnus ille, & a natura ipsa ad maxima quæque conformatus Innocentii animus, nec asperitatibus terreri, nec ulla utilitatis specie a recto avocari potuit. Licet enim magnus ille Principatus sponte oblatus Innocentio fuisset, omnia tamen sibi potius perferenda statuit, o inusitatam prorsus virtutis indolem, ac moderationem inauditam! quam quidquam committendum, quo delata sibi auctoritas vel minima ex parte violaretur.

O noctem illam memorabilem, & in fastis eximiæ alicujus notæ adjectione signan-

ſignandam! quæ pulchriorem Italiæ partem a perpetua civilium bellorum formidine liberavit. Qua quidem nocte ipſa repudiatis ab Innocentio omnibus improborum conſiliis, ac ſuaſionibus, eadem animi magnitudine, & dexteritate compreſſis internecinæ diſſenſionis incendiis; jus hæreditarium eorum Duci Coſmæ, Regiæque familiæ conſtabilivit.

Cum vero ei tantarum rerum curatio ac ſollicitudo non caſu acceſſiſſe, ſed divinitus ſibi delata videretur, ſolo virtutis præmio virtute ipſa fruebatur. Quamvis igitur Carolum V. Cæſarem potentiſſimum bis in paterna domo, ac Paulum III. Romanum Pontificem regio apparatu, qui numquam alias auguſtior viſus eſt, excepiſſet; ea tamen gloria contentus fuit, ne, ſic exigentibus atrocibus Italiæ temporibus, augerentur onera publica, tributa nova imponerentur, crebriores delectus ſubditorum gravamine haberentur, aliaque dura, ſed adverſus bellorum

pro-

procellas opportuna, & neceſſario forſan ſubeunda, removerentur. Armentorum vero ubertas, frugum fertilitas, urbium pulchritudo, frequentia, firmitas, commoditas portuum, commerciorum opportunitas foveretur; & quantum in his omnibus, quæ bellorum incendiis interierant, ad gloriam, exiſtimationem, ornatum, robur, tranquillitatem denique, ac ſecuritatem Romanæ Eccleſiæ ſitum eſt. [52]

Principem itaque LAURENTIUM I. Ferentii, aliarumque in Italia Civitatum dominii jure conſpicuum reticeo, quamvis publicas illas gaudiorum ſignificationes ſilentio præterire non poſſim, quas Romani ipſi Pontifices, cæterique Eu-

52. *Sanſovin. & Moreri. Ciacconius. Scipio Ammirat. Pompon. Vizan. in hiſt. Bonon. Andreas Victorel. ad Ciaccon. Rocchus Pyrrhus in not. Eccleſ. Sicilien. Henricus Rex Angliæ de Urbis excid. in Epiſt. ad Innocen. data, & Gorus Gherius. Leo X. P. M. in Epiſt. ad Ferdinand. Hiſpan. Regem apud Bembum. Guicciardinus in hiſt. Ital. Petrus Aretinus in ſuis literis, & concinne extollit Joban. Caſaneva in Poemat.*

ropæ Principes post partas ubique belli victorias cum Mediolanensi Duce consanguineo suo publice quoque indixerunt.[53] Nec de Massiliensi Antistite Julio de Cybo verba facio, cujus memoriam nemo spoliandam ornamentis duxit, ejusdemque obitum decorandum monumento sempiterno Ecclesia, Patriaque sua dulcissima decrevit.[54]

Tacere vere minime possum Principem Albericum I. lumen totius gentis tuæ celebratissimum; ubique enim fere gentium gloriam majorum suorum amplificaturus, tribus Europæ Hispaniarum, Galliarum, ac Poloniæ Regibus nuptiarum jure Sanguinis vinculo conjunctus nullum fere est tam magnum, atque sublime dignitatum decus, quo mirabiliter functus non fuerit. Cum enim pacis constituendæ rationem, & belli gerendi potestatem solus ipse habere videretur, omni

53., & 54. *Sansovin., & Moreri supra laudat. & Ciaccon. in Innocent. VIII.*

ni tempore ad gubernacula totius Italiæ ſedere promeruit. Populi omnes ſuam quodammodo fidem implorarunt, ac repetierunt eam, quam parentes ſui pro Reipublicæ ſalute ſpoponderant, dignitatem. Teſtis eſt Genua Patria ſua amantiſſima, cujus auctoritate, ac potentia, honores, imperium, triumphos, tranquillitatem, libertatem, aliaque præclara Reipublicæ inſignia ſibi conciliavit. Teſtis eſt iterum, ac ſæpius Italia, cui ſalus atque incolumitas ejus dexteritate miſſa fuit. Non exiguis quapropter honorum ſignificationibus a Julio III., ac decem & tribus aliis Romanis Pontificibus, ſex Galliarum Regibus, totidemque Romanorum Imperatoribus, & tribus Hiſpaniarum Regibus affectus, quibuſcum aſſidue de ſumma rerum agere datum fuit, in eam celſiſſimam Sedem dignitatis gentis ſuæ aſcendit. Cujus autem honos, ac nomen inveteraverat & cunctæ Italiæ, & hominum

famæ, ac ſermonibus, potentia quoque, & dominatio percrebuit. Qui jam ex tota Europa delecti Principes ſecum de virtute, ac generis præſtantia numquam contendere potuerunt, dignitate, atque honoribus ſuperavit. Non modo enim ſummo imperio Principatus MASSÆ, & CARRARÆ in Lunegiana a Maximiliano Cæſare donatus, ſed præter eas, quas Gens ſua ubique fere Italiæ terras prius poſſederat, Ferentilli quoque eximio comitatu in Umbria, Cælani, Fabriani, Vetrallæ Montis Jovis, Anguillariæ, & Fivizzani illuſtris, in Neapolitano autem Regno Principatibus Monopolis, Altiliæ, Soræ, Calium, Veſuvii, Nuceriæ, Minervini, opulentiſſimi Agelli in magna Græcia, aliorumque celeberrimorum locorum dominatione nomen ſuum genere, & vetuſtate clariſſimum adeo amplificavit, ut quantum a majoribus ſuis gloriæ exceperit, tantundem ipſe unus redide-

diderit universis. [55]

Prætereundus quoque minime erit Princeps ALTERANUS I. belli pacisque artibus ad miraculum eruditus, [56] tutissimum vero, atque firmissimum Romanæ fidei sustentaculum Othomannorum audaciæ objectum. Quandoquidem collectis undequaque totius Orientis, atque Africæ viribus Turcarum potentia in Naupactium sinum trajecerat, nec regionibus modo, sed regnis etiam subactis Christianum ipsum nomen nullo fere negotio ad audenda omnia jam projecta barbaries corripere videbatur; cum auxiliaribus Alteranus Europæ viribus terra, marique conquisitos hostes aggressus, non modo certamen commisit, sed in ipsum discrimen aciemque deduxit classem, infinitam hostium multitudinem perdidit; succenturiatos quoque, abdi-

---

55. *Late Sansovin., & Moreri prosequuntur omnia, & recentiores Italicarum rerum Scriptores.*

56. *Sansovin., & Moreri supra memorati.*

abditosque ita lacessivit, disjecit, ut ab Italiæ finibus vel nomen ipsum barbarorum longius excesserit, eruperit.

Quid autem ego clarissimum Æsinum Antistitem LAURENTIUM de Cybo [57] commemorem? dignitatem, liberalitatem, moderationem in privatis rebus, splendorem in publicis, caritatem ardentissimam, abstinentiam admirabilem, Sanctitatem probatam? quæ ab incunabulis inchoata, usu vero, consuetudine perfecta, eam sibi venerationem revocarunt, ut nihil plane reliquum videatur, quam solemni quamprimum universalis Ecclesiæ judicio confirmentur. Quoniam autem nemini umquam ignotæ anteacto seculo fuerunt eximiæ Majorum tuorum CAROLI I., ALBERICI II., nec non Principis CAROLI II. Parentis tui ornamenta meritorum, ea labens facile omitto. [58]

Jura vero sanguinis cum piissimo An-

57., & 58. *Moreri in Diction.*, & *Thomas Baldassin. in vita* D. *Laurentii de Cybo typis edita Romæ anno* 1690.

Angliæ Rege Jacobo III. aliiſque ſociata quis umquam prætererit? quis vero pro dignitate referat omnia, BAPTISTINAM de Cybo Ludovico Aragonio Ferdinandi Regis fratueli nuptam, aliaſque fere innumeras ultro citroque cum magnis Hetruriæ Ducibus, cum Farneſianis, Malaſpinis, Eſtenſibus, Camerini, Urbini, ac Mirandulæ Ducibus, aliiſque Italiæ Summis Principibus nuptiarum fædere conjunctas? inferre oculos, & penitus introſpicere in omnes Europæ Principatus neceſſum eſſet, nullum ſignum, nulla tabula vel picta invenietur antiquitus, quæ non plurimis, & pulcherrimis gentis tuæ inſignibus ornata ſit, ac referta. [59]

Excitetur tamen aliquando, & in rebus tum maximis, tum manifeſtis excitetur animus, & demirari numquam deſinat ampliſsimum Cardinalem ALTERANUM, [60] cujus innocentia dignitatem, ex

59. *Sanſovin. Moreri, & Ciacconius in Innoc. VIII.*
60. *Diſtincte Moreri in Diction. loc. laud. & Ciacconius.*

ex dignitate honorem, ex honore imperium, ex imperio libertatem Romana Ecclesia sibi comparavit. Vos jam oro obtestorque Purpuratos Patres, vos exterorum Regum legatos imploro, qui propius eo tempore tantam sapientiam, dexteritatem mirati fuistis, quanta in omnibus rebus temperantia, quanta fide, quanta felicitate, quanto ingenio secretioribus Ecclesiastici Imperii negotiis ab Innocentio XI. Optimo sanctissimoque Pontifice præfectus, in quibus summa auctoritas, atque amplitudo esse debet, commissam adeo sibi gravem provinciam obiverit. Commemorasse satis erit, atrocibus dissidiis potentissimorum Principum Romanam Ecclesiam jamdiu conflictatam, ejus sapientia in tuto tranquillitatis portu collocatam; cum non fundamenta solum pacis jecerit, sed omnem etiam memoriam discordiarum oblivione sempiterna delendam esse studuerit. Multa prætereo, eaque præcla-

ra;

ra; ad ſingulare autem facinus immortali memoria dignum, menti penitus commendandum, ac ſedulo ab Eccleſiaſticis Principibus imitandum feſtinat oratio. Nempe non parvas errorum fibras longe jam lateque diſſeminatas ingemiſcens ALTERANUS, quæque ſenſim puritatem fidei appetentes, eminus jactis telis, irritoque licet cadentibus eam confodere, ſi tantum iniquitas poſſet, per ſummum ſcelus audaciſſime moliebantur: ſuis autem curis, & vigilantia proſcriptas, eradicatas, diſperſas fuiſſe, ſingulare pignus ſui amoris Chriſtianæ Reipublicæ dedit.

Quorſum igitur tanta, tamque ampla Majorum tuorum gloriæ ubertas in medium prolata? Num hæc omnia ſatis ad Regiæ Gentis tuæ inſigne prodendum? Nihil profecto minus. Imo non video quid ſatis eſſe poſſit. Cum nullus tam inacceſſus, atque ab hominum conſortio remotus in terris locus exiſtat,

nulla natio hominum tam immanis & barbara, quam non jam pridem celsissimum de Cybo nomen, non modo virtute ac splendore, verum etiam admiratione compleverit. Quamobrem licet innumera, maximaque alia, quæ belli pacisque artibus non in Italia solum, ac Europa, sed in orbe ipso omnium terrarum patrata conspiciuntur, bonorum insignia dicenda forent, ut nullus sane esset dicendi finis, ad Te libentius, Princeps omnium Majorum tuorum præstantissime, deveniam, uberiorem equidem virtutibus tuis cumulum ad avitam eorum gloriam additurum. Quippe ea tam egregia majorum tuorum monumenta posteros facile oneratura videbantur, illa tamen extitit apud Te magnitudo animi, ut avorum ornamentis minime acquiescens, eorum augere nomen, & ad seros usque nepotes cumulatius transmittere curaveris.

Quod quidem, ut primum ex pue-
ris

ris excessisti, ac dextero postmodum omine adolescentiam auspicatus, celeberrimum Romæ collegium a Clemente VIII. erectum, cui modo digne præes, literarum studiis excolendus ingressus, tam mirabiliter præstitisti, ut ex eo adhuc tempore eandem prorsus mentis celsitatem prætetuleris, & debitam fastigio nobilitatis tuæ admirationem elicueris.

Sicque, ut in herbescente segetum viriditate certa prope spes futuræ messis apparet. Ita Tullium Romanæ eloquentiæ parentem ferunt, adhuc puerum gymnasium adeuntem ob excellentiam ingenii sodalium comitantium frequentia solitum coli, puerorumque stipatum obsequiosa turba deduci,reducique domum, quod animo præsagirent, talem postea futurum, qualem nunc quoque summa animi alacritate admiramur.

Nobilissimi quoque pueri Scipionis, cum adhuc prætextam ferret, animosus ac præsens intercursus, unde occisus Pœ

nus, servatusque Pater in illo cum Annibale ad Ticinum prælio, nonnisi grave, evidensque signum apud plurimos, sapientesque viros reputatum fuit, ut Annibale tandem ex Italia expulso, ex Africa ejecto, Carthagine oppressa a Scipione, res publica maximis periculis liberaretur. Sic porro in adolescentis ætatis tuæ primordiis ex fulgore indolis, quæ, ut Plato disserebat, optimum a diis donum est, imo nihil majus, jam vel longe cuncti prospexerunt, quæ virtutis maturitas, & quantæ fruges industriæ futuræ in proximos annos. Est certe enim aliqua vis originis, & sanguinis, in eisque plerumque, quos majorum suorum perpetuo exemplo virtus transmissa hæreditaria veluti face ad gloriam inflammavit, sapientia non expectat annos, gloriæque semina in eorum animis & firmiores radices agunt, & velocius adolescunt.

Hinc namque vivendi cursum ita insti-

inſtituiſti, animumque tum pietatis, cum virtutis ſtudio ita efformaſti, ut quamvis longe pulcherrima, honeſtiſſimaque, quæ ad nobilitatis excolendæ politiorem uſum pertinent, cognitione compleres, numquam tamen ſenſus pellexerunt, ut iis abuſus umquam eſſes, ad libidines explendas, ad alienam libertatem opprimendam, ad circumveniendos alios, ad perturbandam Rempublicam.

Quis autem exploratum non habet? & quis non fuit admiratus toto adoleſcentiæ tuæ tempore, quantum cæteris ad res ſuas obeundas, quantum ad feſtos dies celebrandos, quantum ad alias voluptates, ad ipſam requiem animi, & corporis conceſſum temporis, quantumve in tempeſtivis conviviis, quantum denique ludis, ac reliquis juventutis oblectamentis tributum, tantum Tibimet ad ſtudia recolenda ſumſiſti? Te Roma, te, inquam, appello, clariſſimi Principis Camilli de Cybo a teneris annis admi-

mi-

miratrix eximia, vestram fidem Romani omnes, quorum ante oculos innocentioris ejusdem vitæ institutio, morum suavitas, ac candidiores animi sensus hodie quoque obversantur; quæ nam eum in tanta variarum gentium luce ac frequentia, quæ in tanta rei familiaris copia, atque tam ampla celsissimæ domus fortuna laxioris vitæ exempla, non semel obvia, aut voluptatum lenocinia transversum umquam egerunt, ejusque vel pietatem minuerunt, vel honestatem labefactarunt, ut nec integer, nec purus, ac divina prorsus mente ad Rempublicam capessendam evocaretur?

Cum sacris igitur literis, quas numquam esse dimittendas recte existimasti, quasque concinne, eruditione varia, & sententiarum acumine refertas variis lucubrationibus tuis, typis quoque editis tractasti, eas disciplinas conjunxisti, quibus homines maximarum rerum ponderibus destinati, ad humanitatem infor-

man-

mantur. Ad virtutis, atque honeſtarum artium eruditionem, ad vitæ civilis, recti æque moralis diſciplinæ uſum ac rationes, ad capeſſendam Rempublicam, ad honorem, gloriam, dignitatem erudiuntur. Quibus potiſſimum legum incitamentis ſanctitas morum, firma conſuetudo induceretur, quæ rerum publicarum artes, & differentiæ forent, quibus legibus nobiliſſimi quique populi publice privatimque ſint uſi, qua prudentia pacem ſtabiliverint, qua induſtria bella propulſaverint, aut confecerint, qua ratione Princeps locus juſte, nobilitas modeſte, vulgus temperanter habeatur, Quæ quidem omnia diligenti animadverſione eorum, quæ perpetuo eveniunt, conjungens, maximam in ea lucubratione, ſummoque Principe dignam, negociorum, perſonarumque varietatem, multarum rerum novitatem deprehendiſti; crebraque in utramque partem fortunæ ſeu vacillantis exempla, conſiliaque admirabi-

lia,

lia, & consiliorum inopinatos eventus, gravesque pro tempore sententias, & plenam ubique dignitatis, plenam suavitatis commentationem: copiosam vero quandam ad instituendos mores suppellectilem, & seu speculum humanitatis, in quod inspicere omnis vita, unde ea capere, atque haurire documenta queat, per quæ vel publicis, vel privatis rationibus consulatur. Quæ sane tuæ fuerunt partes studiorum, ingenii aciem ad bona deligenda, reiicienda contraria, quæ virtus ex providendo, Tullio auctore, est appellata providentia, direxerunt.

Vix autem e collegio egressus, statim Theologicæ facultatis quæstiones omnes Purpuratorum Patrum collegio, cæterisque literatissimis viris inspectantibus publice propugnandas suscepisti, triduo copia omnibus facta in Æde S. Mariæ supra Minervam, ex tempore difficultates excitandi; quod tanta facilitate, ingenio,

ac

ac felicitate a Te actum fuit, ut singularis prorsus, cumulatæque virtutis faceret fidem. Et quoniam tale de Te specimen dabas, in eamque spem omnes adducebas, fama compulsus Clemens XI. Pontifex post conditum Ecclesiæ imperium facile Princeps, recte judicavit, jam tibi esse ex domestico illo, & velut umbratili vivendi genere in solem ipsum, ac pulverem pro Ecclesia descendendum. Sensitque, tempus jam esse, ut præclara illa virtutum omnium seminaquæ diligentissime in juris potissimum publici exercitatione subactus, colueras, foveras, palam tandem prodirent, fructusque ea jamdiu expectatione dignos Christianæ Reipublicæ afferrent.

Præsidem itaque, ut ajunt, Cameræ Apostolicæ designavit Pontifex sapientissimus, custodemque esse voluit publicæ, privatæque utilitatis. Romano enim præ cæteris Tabulario dirigundo, perficiendoque præfectus, quod sæ-

pe bellorum incendiis interiisse, frequenter vero tabulariorum custodiæ commissum suamet ipsorum rei maximæ incuria, quandoque fraude defecisse constabat, adeo tua diligentia in ordinem redactum, ut officio, quod totum debueras, atque erroribus, si quod prius ignoratum fuerat, plus satis satisfeceris. Quid deinde Princeps sapientissime? quo progreditur in Republica natus, semperque versatus animus tuus? omnes enim regias illas virtutes, quas nemo ignorare potest, præcipue singularis, & admiranda in publicis rebus transigendis dexteritas ita superavit, ut cum non multo post Romæ ubertati fovendæ servandæque præfectus esses, admirationes prorsus inauditas neque oblivisci possimus, neque tacere debeamus. Non indulgebo amori meo, non ornatissimorum virorum judicio blandiar, prospecta cunctis, & testata loquar. Quid enim Te numeris omnibus absolutius? quis Te eo in munere gerendo diligen-

gentior, quis majori dexteritate ornatior? ut nemini invisus, tibi tantum gravis, numquam ad Te non facilis humilium etiam hominum accessus, neminem non compotem voti sui, auctoritatisque efficeres. Nullum tibi supercilium, numquam compositus ad severitatem, nisi cum scelestibus vultus, eadem semper oris facilitas, multus & comis sermo, nullum à laboribus, quibus maximis implicabaris, otium; incorrupta vero illa affectio suum cuique tribuendi, munifice, & æque tuita vim illam, potestatemque justitiæ. Adeo certe nihil magis in votis habuisti, quam per certissima amoris, fortitudinis, magnanimitatis, ac justitiæ argumenta totum Te Reipublicæ oppignorare. Quæ enim vel aspera, vel injucunda in regimine publico occurrere solent, vel dulcissima morum suavitate leniebas, vel miræ, quæ in Te enituit, eloquentiæ viribus demulcebas. Cum vero res olearia præteritorum annorum fama acerbissima ubique

quæreretur ; partim enim in alienas terras propter venditorum quæstus missa, partim custodiis suis clausa fæneratorum sorde retenta, ut annona quoque universa flagellaretur, inopia erat Romæ, non in opinione dubia, sed quasi ante oculos proposito periculo versabatur: eaque magis magisque ingravescente, ut jam plane inopia, non caritas timeretur, concursus est factus ad dexteritatem tuam, tantaque statim ubertas Romæ accessit, ut jam homines non magis antea caritatem timuerint, quam ubique redundantem copiam neglexerint.

Quod cum Sapientissimi Principis integritatem maximis quibuscumque rebus sibi proposuisset Pontifex oculatissimus, vix dum jucunde eo in munere Roma gustaverat, ad Auditoris Cameræ provinciam adscivit. Porro illud tam laboriosum munus aggressus, quamquam virtutum omnium scientiam haberes, & usum, exemplis tamen tuis, & nova emen-
dan-

dandi arte depravatos Tribunalium mores, ut ne latum quidem unquem à recto justitiæ tramite discederent, ad trutinam revocasti, & certos iis fines terminosque constituisti; extra quos egredi non possent, maxime si vellent. Eaque existimatione Te numquam revocarunt, quum nulla umquam potentium vi extra hos veluti veritatis & justitiæ cancellos egredi conatus sis, quos tibi ipse circumdedisti: quasi annosam ilicem moti turbines, & procellæ concutiant, nullus tamen actis profundius radicibus solo firmiter hærentem impetus ingruentis evellit tempestatis. Qui hoc intelligi potest?

Magna hæc, sed ad majora properat oratio. Si vel unum inspiciamus, rationem nimirum, quam in habendis publicis judiciorum conventibus, tenuisti, compertissimum est, Te minime, è profanis, aut Poetis fabulas inanes, aut Oratoribus flosculos, & pigmenta, aut jurisconsultis futiles sententias collegisse, ut in publicos

hujuſmodi cætus, in quibus de ſumma quandoque Eccleſiæ agebatur, quaſi in ſcenam prodires, minime perſuaderes, ſed potius oblectares, ut rerum ſoliditate neglecta ad inanem verborum ſtrepitum concipiendum converteréris, ſicque adſeſſores prudentiſſimi ab illis abſcederent vento quodam dumtaxat turgidorum verborum inflati: Nihil plane minus.

Eo enim cultu, ac ſeveritate ſtudiorum inſtitutus, poſtquam omnes ad unum latinæ, græcæque linguæ Scriptores diligenter pervolutaſti, ſedulo undequaque collegiſti, quibus tibi juriſprudentia inſtructior, atque ornatior fieri poſſe videretur. Eoque omnium temporum labores confluxere ad eam nimirum expoliendam; Sacroſque canones perluſtrandos. Qua quidem recte vivendi, aliiſque imperandi doctrina ſubactus, ne Temet amæniores aliæ diſciplinæ uſu quodammodo ſuum facerent, multa ſæpenumero veluti uſucapionis interrumpendæ cauſa tecum ipſe agita-

tabas, quibus comparatior in ea tam multa juris vaſtitate, ac in judiciis ferendis habereris. Hinc voti compos effectus es, moribus enim non exemplaritate modo, quam legum etiam diſciplina, ac cultura efformatis eam tibi partam juris intelligentiam aſſiduo tractandorum judiciorum uſu ita perfeciſti, ac perpoliiſti, ut brevi tempore Principem inter Juriſconſultos locum obtinueris: Cum eos quidem, qui in libris conſenuerant, ſeque uni cognitioni dediderant, uſu, & exercitatione rerum forenſium; eos autem, qui ſe magis ad forenſem ſtrepitum applicuerant, eruditionis copia e purioribus arceſſita fontibus, utroſque certe utraque laude ſuperares.

Quid igitur de juſtitiæ integritate dicemus? qua enim rationc fieri poteſt, ut ut immenſa prope negotiorum ab Eccleſia moles demandata tibi, tam varias nationes, populoſque complexa, tanta firmitate cohæreret, nec non ubique jucunda, & prædicata eſſet, niſi e pari etiam legum cuſto-

ſtodia , integerrimæquæ juſtitiæ ſtudio emanaſſet? Quis enim umquam vidit, & quis audivit, ſenſitue tanto temporis tractu, qui omnigenos animorum motus Romæ innumeris cauſis exciviſti, quidquam a Te contra jus, faſquè commiſſum, decretum,denique cogitatum? Adeſte vos jam Quirites, populique omnes, qui Camilli Principis de Cybo judicio ſiſtere coacti eſtis, cujus ne aut familia ſævitie forſan tanti Judicis, aut exiſtimatio contumelia, aut res cupiditate imminuta eſt? aut innocentia vindicata? Imo vero, quem ipſe miſerrimum de ſuo quandoque, quem judicio non potuit, non juvit, ornavit, auxit? quot vero diffidentes exitu judiciorum, & ad ultimam ægeſtatem redactos potentium vi, ac pene deſperatos, juſtitiæ ſublevamine erexit, confirmavit? Quis vero clarioribus viris amabilior? quis autem alioquin, ſi opus eſſet, verſare melius ſuam naturam valuit, atque huc, & illuc torquere, cum flagitioſis ſevere, cum remiſſis

missis placide, cum sapientibus graviter, cum juventute comiter? quo quisque facilius sanctarum legum vinculo contineretur, omnesque exemplo suo excitati, ac disciplina compositi, non minus ferverent, atque æstuarent o miram plane virtutis tuæ potestatem! æmulatione doctrinæ, quam splenderent, atque eminerent innocentia judiciorum.

Quibus profecto, tantisque pro Apostolica Sede exanthlatis laboribus, quæ omnium animos virtus inaudita perstrinxerat, atque uberioribus gloriæ incrementis ubique gliscebat, justissimum quoque, sapientissimumque P. M. Benedicti XIII. animum sollicitavit, ut Te Sacri Palatii Præfectum designatum eademmet non mediocris animi constantia inflammaret, ad Apostolicæ Sedis jura sarta tecta luculentius servanda. Interea non omisisti, aut distulisti umquam, aut ad alios delegasti, quæ non animi solum imperio, sed corporis etiam ministerio indigerent. Ut, pri-

mum enim Romæ partium ſtudiis ubique conflatis, quæ inveteratam Præfecti Sacri Palatii in judiciis ferendis facultatem depugnare moliebantur, hominibus ſumma cæteroqui auctoritate præditis reſiſteres quã fortiſſime, incredibile plane dictu eſt, qua nova, atque inuſitata ſapientiæ indole, proprio marte exaratis ſcripturis, puriores, penitioreſque, & ab ipſis romanæ juriſprudentiæ architectis numquam delibatos juris publici, privatique fontes attigeris, objeceris,ad eam debitam faſtigio tui muneris dignitatem vindicandam. Tantus enim honos, cæteraque ornamenta, quæ poſtmodum tibi contigerunt, cum non ad alienæ petitionis occaſionem interceptus, non aulicis artibus paratus, non diuturnis precibus efflagitatus, ſed dignitate metipſa Tui, ac ſapientia impetratus eſſet, quod quidem ampliſſimum, imo nihil hoc ornatius, ac magnificentius eſſe poteſt, quamvis propoſitus, atque editus in altum, ut ab omnibus procellarum ventis
cir-

circumflari poſſet, virtutis tamen tuæ conſtantia ita ſeptus fuiſti, ut omnium exiſtimationi plene ſatisfeceris. Quippe Te in genuina Apoſtolorum palęſtra editum,atque eruditum virtus fortitudine illa armavit, quam ſtoicorum ſuperba æque,ac ſtulta jactantia diſciplinæ aſſeclis buccis inflatis pollicebatur, ut Te maxima quæque tempeſtatum vis moveret, nulla turbaret, acerrima quæque tela pungerent, nulla ferirent; fluctuſque ingruentes ſumma non tangerent, infima vero ſic concuterent, ut ipſi potius frangerentur.

Sed pro hominum fidem! quid ego hic in medium profero? in quo orationis meæ habenas ſenſim laxari patiar?quid eſt, quod ego dicendo, aut cogitando efficere, aut aſſequi debeam? De pietate tua loqui adactus, de ea loquar, in qua eminere cæteris, ac præire univerſis non mediocri alacritate admiramur. Sed quo me vertam? unde initium ſumam? Tot obverſantur animo pietatis prodigia, ut cum

omnia una complecti oratione nequeam, quid referendum sit, quid omittendum, penitus ignorem. Nemo est enim Roma tota, qui eam non spectaverit, nemo in orbe terrarum omnium, in quem ejusdem fama longe lateque fusa non penetraverit. Nimirnm huc spectabant divinorum consiliorum tramites, quibus in palæstra scientiarum assidue exercitum subactumque, inauditis propemodum sollicitudinum contentionibus Ecclesiastica pietas undique comparaverat. Nempe, ut ad vitam illam adeo næ ineundam Te institueres, quam triverunt olim Ecclesiæ Patres, fideique assertores præsentissimi, qui omnium gentium literis, ac studiis instructi ad Ecclesiam illustrandam, proferendamque curas, & conatus Deo duce, & auspice feliciter contulerunt.

Quamobrem, si animis revocemus, hique potissimum, quibus paulo familiarius Tecum agere datum est, tuum ad omnia pietatis opera flagrans studium, explora-

ratam quoque habebimus ſollicitam illam Chriſtianæ inſtitutionis curam, auctas donis, ac religioſiori cultu ubique divorum aras, & templa, effuſam in egenos miſeroſque benignitatem, Virgines, ſi quas audiſſes, vitæ neceſſitatibus pudoris diſpendio conſulturas, honeſto nuptui collocatas, ingenuas familias, quas egeſtas, ac pejor egeſtate calamitas verecundia oppreſſerat, tacitis erogationibus ſublevatas, lacunaſque ipſas quandoque rei familiaris expletas; domeſticos ipſos, vel humili loco poſitos, o admirandam ſane pietatem tuam, priſcis ipſis Eccleſiæ ſeculis frequentatam! cum gravi morbo conflictarentur, opibus, conſilio, ſuavique vultus hilaritate recreatos, & in ſpem ſalutis erectos. Sed quæ pietas, quæ poteſt eſſe major pietas? reliqua omnibus perſpecta taceam, ut Tibi met, eaque nobilitate inſigni ſeveriores quotidie jejuniorum leges impoſueris, nec affecta quidem valetudine ſolutas? Qui igitur fieri poteſt, ut ſingulare pieta-

tis

tis genus non prædicemus, qui totas illas integerrimæ religionis rationes, a qua cæteræ omnes virtutes excellentem quandam speciem sumere coguntur, quæque una omnes excipit. complectitur, ac fovet, ita profiteris, tanta animi contentione amplificare publice conaris, ut in tuamet tutela & custodia a Deo D. M. collocatæ esse videantur.

Itaque ille quidem Christianæ Reipublicæ salubris, semperque omnibus jucundus conspectus tuus, eo tamen tempore, quo eximia Benedicti XIII. sapientia Summi Senatus Collegio adoptatus es, longe & gratissimus, & saluberrimus affulsit. Hinc vicinorum quantum studium, quam incredibilis benevolentia, quanta cura fuit; nec minus exteri contulerunt; non enim illi in libellis laudationum munera miserunt, sed homines honestissimos huc frequentes adesse, & Te præsentes laudare voluerunt.

Dum igitur purpurei galeri insignia su-

ſuſcepturus, ſolemnibus cæremoniis in publicum egreſſus, incredibile dictu eſt, quo jus majeſtatis, ad quam natus es, proferre viſus fueris; non quod quidquam incrementi ea celebritate mutuaverit, ſed quantum potius ejuſdem dignitatis faſtigium reputari, quanta eſſe debeat veneratio, veterum gravitate rituum, ſolemnibuſque priſcis illis Eccleſiæ luminibus, apprime omnibus Eccleſiaſticæ Hierarchiæ ordinibus declaraveris. Aſpicere adhuc videor geſtientem ubique, & concurſantem in plateis, ac lætitiæ ſuæ impotentem civium multitudinem, plebemque ipſam vix gaudium capientem animis: Non ſenes gravitas, non matronas pudor, non pueros infirmitas ab officio retardavit. Confluunt in Vaticani veſtibula ſexus, ætaſque omnis, omnis illuc ordo properat. Proſe quique primi haurire oculis aſpectum tuum feſtinant, exultant, vociferantur, manus ad cœlum tendunt, propicium tibi Deum, proſpera, ſecundaque omnia comprecantur.

tur. Non ſub galeri pondere anhelantem, non inſolito fulgore caligantem, non ſolito forſitan majorem ſpeciem, majeſtatemque excipientes omnes, eiſdem profectò portis incredibiles gratulationum ſignificationes effuderunt, quas toties Majorum tuorum ingreſſus triumphis onuſtas reddiderunt.

Purpurati vero Patres exceperunt Te in ornatum illud, magnificumque ſubſellium, quod olim celſiſſimi Nominis tui virtute, auctoritateque ſæpius a barbarorum injuriis vindicatũ fuit, ſępius vero, iterumque excitatum, atque illuſtratum. Atria ipſa, ac auguſtiora cubicula referre videbantur communibus tecum honoribus, & diuturnis gloriæ inſignibus extructa, Summorum Eccleſiæ Pontificum Bonifacii IX. ac Innocentii VIII. majorum tuorum plauſuſque redolere, neque mutis imaginibus diſtincta, atque ornata, ſed egregorum factorum coronis frequentata: ut jam minime vereamur, ne parvum illa in uſum

usum parata sint, sed e vehementi Ecclesiæ ipsius studio gratique animi memoria expressa ad ultimam usque posteritatem perseveratura esse videantur. Quo quidem tam multo, magnoque comitatu Majorum tuorum gloriæ ad hanc dignitatem exceptus, pari studio virtutem, ac nobilitatem suam eisdem reddidisti. Ex assiduis enim illis, quotidianisque laboribus, quibus ad egregiam pro Christiana Republica operam præstandam in maxima quaque rerum fortuna excitabantur, nimio sane opere excitus atque subactus, nihil adhuc præstabilius habes exercita vita, ac conferta laboribus. Quod unius fuit proprium gentis tuæ subire pro Republica pericula, vulnera excipere, mortemque ipsam oppetere, nescio quomodo, dum hæc memoria repetis, aut legis, studio quoque quotidie incenderis, dignitatibus esse serviendum, Christianæ Reipublicæ consulendum, æqui bonique rationem, non commodi esse ducendam.

Maximis proinde negociorum ponderibus assidue adſcitus, pari dignitate ornatiſſimos viros laudatores ſemper habuiſti. Ipſius quoque Pontificis O.M. Clementis XII. incredibili ſapientia, ac felicitate in præſentia univerſalem Eccleſiam adminiſtrantis non abſimile ſtudium, & teſtimonium expertus es, qui peculiari quadam ratione virtutum tuarum, Majorumque tuorum gloriam callens, publicis quoque honorificentiæ ſignis, ac muneribus decorandam eſſe judicavit.

Auguſtiſſimi vero, feliciſſimique Cæſaris Caroli VI. erga Te non mediocria honorum argumenta omittere non debemus, cujus ſub æterno, potentiſſimoque præſidio ac clientela Domus tua celſiſſima ſemper haberi promeruit.

Si alacritas igitur illa omnium, quam opinione virtutis tuæ incredibilem, admiratione geſtorum tuorum ubique auctam, memoria vero majorum tuorum jucundiſſimam novimus, adeo in omnibus confirma-

mata eſt, ut neque oratione complecti, ac ne mente quidem comprehendi poſſit, parcendum procul dubio, Princeps humaniſſime, oratoris infantiæ, cum tantæ magnitudini, ac dignitati explicandæ idonea dicendi ratio defuiſſe videatur. Quæ omnia cum ita ſint, juvit ſaltem ex immenſo hoc veluti oceano delibaſſe præcipua, quo iterum, ac ſæpius, iterumque irrigari quodammodo aures, animoſque omnium ſolita voluptate videamus.

Cui quidem lætitiæ, voluptatique communi ultimus quaſi cumulus tum demum acceſſerit, cum in Maximi Sacerdotii culmine Te collocato, quo plane mirificus virtutum ſplendor, præſtantia tuæ gentis celſiſſimæ, ac meritorum copia inaudita evocat, univerſalis Eccleſiæ negociis tranſigendis, diſciplinæque curandæ mentem tuam ſapientiſſimam Deus Optimus Maximus admovebit. Tum profecto gratulabunda Italia ſuos cum Europa, Aſia, Africaque, nec non penitiſſimis Orientis, igno-

ignotique orbis populis plausus luculentius, ac pulchrius confundet; acclamationesque una miscebunt populi omnes, qui vel sapientiæ tuæ fructus experti sunt olim, vel facinorum intellexere splendorem, vel Gentis tuæ insignia adhuc extantia venerantur. In tanta autem celebritate famæ,& tam varia linguarum diversitate eadem semper, & mens una videbitur, cum Te ornamentum Familiæ tuæ, columen Christianæ Reipublicæ prædicabunt, longissima quoque annorum serie, imperiique prosperitate dignissimum declarabunt.

FINIS.





